



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput VIII. De rigorosis Exercitiis ad suos subditos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

sona in tantum detestatur, ut sic dicat : *Qui vos audit, me audit : & qui vos spernit, me spernit* : murmuratorem sine speciali persecutione insultum abire non permittit. Cujusmodi exempla, quorum longum hic Catalogum annectere possem, adducere ob angustiam temporis supersedeo.

C A P U T VIII.

De rigorosis Exercitiis ad suos subditos.

Praefatus Prior, quia se noverat pro suis subditis redditurum fore rationem, & nolens suam per eorum excessus gravari conscientiam, nec animarum sanguinem in districtissimo Judicii die à suis requiri manibus, quidquid sibi utile visum fuerat, ut subditi ejus ad salutem suarum facerent animarum, hoc ab eisdem penitus voluit observari, quod si quis de subjectis se hoc nescire, quod sibi faciendum fuerat, allegasset, aut etiam invitè hoc fecisset, statim Prior manum apponens subditum de hoc instruxerat cum affectu. Contigit namque quodam tempore praedictum Priorem dicere ad unum de Laicis in Conversum promovendum nomine Henricum Krulenberg, ut iret & mulgeret vaccas, qui dum aliquantulum gravem se ad hoc ostentaret, repente Prior eundem ad locum duxerat, quo mulgendum erat, & manu vas arripiens in propria persona mulgere vaccam cepit, cumque Laicus Priorem suum sub vacca sedentem & mulgentem cerneret, viam, quā evaderet, non inveniens, id, quod antea facere recusarat, jam cum Priore vaccam mulgens latus adimplebat, sicque subditos suos ad piæ imitationis incitamentum in humilibus exercitiis exercere non cessavit. Siqui verò fuerint, qui praefatum Priorem in dicto humilitatis opere reprehendere attentaverint, ipsi sibi testes sunt, quod nondum ad humilitatis viam, quā Regnum Caelorum scanditur, pervenerint. Quodam etiam tempore, cum praedictus Prior diligenti consideratione unum de Novitiis satis mollia praeter ceteris Fratribus pulvinaria habere in suo strato animadverteret, fasciculum de filigineis straminibus arctiori modo, quo potuit, in invicem colligavit, & praenominatis pulvinaribus tacite ablati ad caput tacti Novitij repon-

bat. Unus etiam Clericus Joannes videlicet Paderbornensis (qui paupercula Monasterij semina in granariis ex injuncta obedientia custodire solebat) tantas molestias ex eorum pulveribus , dum ea excusserat , incurrit , quod saepius se supra semina prosternens ex maerore cordis validas ac sonoras voces dabat , quas molestias dum Priori retulit sperans se per hoc ab officio supradicto haberi supportatum , Prior machinationes ac tentationes diaboli in praefato facto deprehendens nequaquam eum ab hoc absolvit officio , sed magis subditum ad propriae voluntatis suae expurgationem probare volens longo postmodum tempore idem officium eum exercere permisit. Praedicto etiam Clerico lectus de plumis & satis bonus a Parentibus transmissus fuit , quod dum Priori fuerat indicatum , lectum tollens , Clericum , prout ceteri secundum loci paupertatem defectum sustinebant , penuriam in lecti carentia fecerat sustinere. Alius etiam Clericus ibidem erat , a cujus Parentibus Monasterio saepius pannus mittebatur , & Prior sanctorum statutorum legem perpendens , non Fratri , cui pannus fuerat missus , illum fecerat ministrari , ne per hoc in sui culpam nota proprietatis Ordini sancto paulatim oriretur , quamvis & hoc absque statutorum laesione facere potuisset. Praedicto etiam Fratri quodam tempore pannus pro perficienda sibi cappâ transmissus fuit , Prior verò Fratrem ad plenum probare volens , ordinatione sua ad sartoriam venire jubet , ibique cappa ad corporis sui mensuram de praedicto panno scinditur , & aptatur , nec mora : cum confuta fuit & parata , jam occultatum Prioris exercitium , quod dictum Fratrem exercere disponebat , cunctis redditur manifestum , praefata namque cappa sic parata Procuratori domus (qui aequalis staturae erat cum exercitando Fratre) traditur deferenda. Ita factum fuit , ut unde vitiosus Frater prius laetabatur , quia novam cappam speraverat se habere , inde postmodum , dum aliam cappam talem deferre cerneret , inopiam sui spiritus per hoc deprehendit ; nec suffecerat praedictum Fratrem per eandem semel exerceri & turbari , nam dum cappa inveterata fuit , praedicto Fratri data est ad portandum. Idem Prior , qui Fratres suos licet virtuosos diligenter probare solitus erat , a cella Fratris sui Henrici de Hervordia Sacerdotis propter minimum excessum janua tollens , ad ejusdem Fratris majorem humilitatem aliquamdiu moram fecit , antequam de licentia

tiâ idem Frater januam cellæ recepit. Quadam etiam vice dum prædictus Prior Novitium increparet, & idem in genua mox se proster-neret, Priore abeunte in genibus permittitur sedere, Novitius verò nondum de simplici obedientiâ institutus per omnia, surrexit, & circa prostrationis suæ locum ambulavit, post aliquantulum verò tempus Prior reversus eundem graviter increpavit, & interrogans loquitur in hæc verba: quis à terra ut surgeres, licentiam tibi de-dit? addiditque: quis tu sis, jam benè cerno. Ecce quàm strenuus Novitiorum Institutor, ut in virtuosa vita proficerent, erat supra-dictus Prior. Alio tempore duobus Laicis, quos ut benè probare posset, culpam gravissimam imponens, non solum graviter eos in-crepavit, verum etiam eorum interiori tunicâ usque ad umbilicum rupta disciplinâ non parùm eorum dorsa castigavit. His prædictis exercitiis, ut subditos suos ad beneplacitum sufficienter probaret, excessum quamquam minimum impunitum abire non permisit.

C A P U T IX.

De difficili receptione Novitiorum ad profitendum.

Novitios, quos ad disciplinarem vitam præfatus Prior minùs di-rigibiles in probationis annò reperit, nisi mores in melius permutâssent, à Congregatione sua separâssent. Attendit namque, quòd commixtione unius morbidæ ovis totus grex reddatur maculosus. Quapropter quemdam Clericum admodum nobilem, jamque vestitum simpliciter non obedientem ab ordine velut infectum dispulit & removit. Alius Clericus investitus, ut ad professionem reciperetur, vix precibus potuit obtinere. Quidam etiam Conversus ex quo quoddam humile exercitium sibi impositum in perficiendo gravem se fecerat, sacris vestibûs exiit à Priore, rursus tamen ad ordinem revocatur, sic & Laicos suos satis diligen-ter probare solebat. Prænominatus etiam Prior propter majorem pacem inter subditos suos conservandam ad cohabitandum tales re-cipere noluit, qui cum aliis communiter laborare non valebant. Prædices namque Civis Paderbornensis nomine Stephanus Filium suum adolescentem cum notabili pecuniæ summâ Monasterio Bude-censi